

*Clementissimus*, qui Pius non felix cupit esse; pietatis namque affectum & timorem DEI cum semper præ se ferret, sapientiamq; & cor rectum noctes atque dies a DEO suo etiam atque etiam peteret, non modo ista quæ petierat omnia, sed felicitatem insuper incredibilem, res ad nutum & sententiam fluentes, velut alter Salomon ab immortalis DEO ultro obtinuit. Accedit incomparabilis literarum amor, cui dignas referre gratias non valebit unquam literatus orbis, si vel ipse Cicero, & veterum Grajorum oratores omnes in vitam redeant, vel Musæ cum Apolline ipso, ad fabulosum Heliconem suum ab Acheronte revocentur. Trajani Clementiam in literatos deprædicaturus Plinius his verbis eum allocutus est. *Quid? vitam, quid? mores Juventutis quam principaliter formas, quem honorem dicendi Magistris, quam dignitatem sapientiæ Doctoribus habes? ut sub Te spiritum & sanguinem & Patriam receperunt studia, quæ priorum temporum immanitas exiliis puniebat? At Tu*